





697

1753, 25.

DISSERTATIONEM IVRIS FEVDALIS
PVBLICI ET PRIVATI
DE
POTESTATE ARBITRI
IN LITIBVS FEVDALIBVS
SVMENDI
VASALLIS CONCEDENDA,
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS CONSENSV

D. XX. SEPT. MDCCLIII.

DEFENDENT

CHRISTIAN. LVDOV. STIEGLITZ
I. V. D. ET SEN. LIPS.

ET

IO. LVD. ERNEST. PÜTTMANN.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.



DISSERTATIONEM IVRIS FEVDALIS
 PVBLCI ET PRIVATI
 DA
 POTESTATE ARBITRI
 IN LIBRIS FEVDALIBVS
 SVMENDI
 TRACTATVS CONCIPENDA
 MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS CONSENSV
 CHRISTIANI IVDOVI STEIGITZ
 JOHANNES ERNEST BATTMANN
 L I P S I A E
 MDCCCLXXXIII





§. I.

Introitus.

Parum probabilis nobis semper visa est quorundam Iuris feudalis peritorum opinio, qui in causis ad feuda pertinentibus vasallos arbitrum constituere non posse, aut si eum admitterent, tamen hanc vasallorum potestatem arctis limitibus circumscribendam esse, et in quibusdam modo causis in arbitrum ipsis compromittere licere contenderent. Cum enim vi domini utilis quod vasallo in feudo conceditur, multa ipsi tribuerent iura, quae mea sententia, si non superare hanc compromittendi potestatem, tamen eadem vi praedita esse mihi videbantur; et leges rationesque deprehenderem quibus id probari posse sentiebam; sine omni Domini directi aut alterius detrimento putabam vasallis boni viri

viri et arbitri in re feudali dubia ex compromisso sumendi facultatem concedendam esse. Qua de re cum de capite aliquo Iuris Disputatio esset instituenda, in mentem venit, quae mea sit sententia explicare. Vt autem ordine procedere videamur, quae arbitri sit natura paululum ex aliis Iuris partibus in limine repetemus. Sed ne nimis longa fiat oratio nostra, cum exhaurire hunc locum non nostri instituti sit, ad ea tantum animum aduertemus, quae fundamenti loco ponenda, et quae maxime necessaria ad sententiam nostram corroborandam, lucemque ei affundere videantur.

§. II.

Non vnam esse arbitri significationem.

Varium vocis Arbitri occurrere sensum in librorum nostrorum lectione deprehendimus. Latissimo sensu arbitri vocantur, qui rem sua voluntate suoque arbitrio dirigunt et administrant, indeque quilibet rerum suarum moderator et arbiter *l. 21. C. Mandati* appellatur. Dicuntur arbitri qui conciliandis partibus sine compromisso operam dant *l. 13. §. 2. D. de Recept.* qui in contractibus aliquid definiunt *L. 76. D. pro socio* allatisque honestatis rationibus persuadendo interueniunt, arbitratorum alias nomine insigniti. Alia est species arbitrorum iudicialium, qui a Iudice adhibentur vel ad litem omnem expediendam, vt in bonae fidei actionibus *§. 30. Inst. de Act.* et arbitrariis iudiciis *§. 31. Inst. eod.* verbi gr. ad litem inter coheredes et socios, vnde arbiter familiae erciscundae *L. 52. §. 2. ff. fam. ercisc.* et arbiter pro socio *L. 38. ff. pro socio* occurrit, vel ad incidentem actum quem vocant, ordinandum, vt ad inquirendum, an fideiussores idonei sint nec ne *L. 9.*
et

et 10. ff. qui satisd. cog. Eliguntur denique priuata autoritate ad controuersias dirimendas viri, arbitri, cum ex Iuris dispositione *L. f. Cod. de Iud.* quod in Austraegis obseruandum, qui iudices Ordinibus Imperii iis qui immediati vocantur, vt primum iudicium conceduntur, tum ex libera partium litigantium voluntate, qui nobis iam differendi materiam praebuere, arbitri simpliciter seu arbitri compromissarii appellati.

§. III.

Origo et Constitutio Arbitri.

Prius vero quam ad Arbitri officium descendamus, quae eius sit origo, quaque ratione constitui soleat, breuissimis, ordinis tantum causa videamus. Deducendam autem eius esse originem non ex Iuris Ciuilibus Legibus sed ipso Iure Naturae nemo certe in dubitationem vocabit. Cum enim in statu naturali omnes sibi sint aequales, neque alter altero superior, multae autem lites oriri soleant, nihil rationi aequitatisque magis consentaneum est, quam vt litigantes conuentione inita sese alterius sententiae permittant. Obtinuit hoc deinde in societate etiam ciuili, quum nimiam litium frequentiam earumque protractionem, bellaque adeo ipsa, auersarentur homines, vt, causas in foro fugientes, mutuo inter se conuenirent, arbitros ad dubiam causam cognoscendam et decidendam eligere, eorumque iudicio staturos esse, sibi inuicem promitterent. Huic autem pacto, quod compromissum appellari solet, in quo caput rei est, accedere debere aiunt aliud. Nam cum sit in potestate eius ad quem arbitrium defertur, an velit hoc muneris suscipere nec ne, pactum fieri debere volunt inter litigatores et arbitrum, de arbitrio recipiendo, cum

nemo inuitus ad sententiam ferendam vel ad humanitatem et amicitiam praestandam cogi possit, idque Receptum vocant, ipsosque arbitros receptos. Sed in eo non esse proprie pactum, sed preces arbitrium deferentium, et beneficium recipientis facile omnes vident.

§. IV.

Conditio et Status Arbitri.

Arbitrum autem compromissarium dicimus esse iudicem priuatum, communi partium litigantium liberoque consensu hunc in finem electum, vt arbitrio suo sententiaque contro- uersias earum dirimat. Cum vero non de omnibus causis ipsi sit ferenda sententia, sed ad certam ac definitam contro- uersiam interdum eligi solet; duae arbitrorum species, alia generalium alia specialium sunt exortae. Iam vero cum et Iure naturali, et Ciuili, in arbitro vsus rationis, aequitas, et rei decidendae, iuriumque peritia requiratur, sine quibus virtutibus nec quisquam in causa dubia arbitrum constituet, omnes his ornati arbitri solummodo eligi possunt, neque hic certa quadam conditione aut dignitate opus est, sed tantum probitate et scientia. Respici inde non solet, an integrae eli- gendus sit famae aut adeo ignominiosus, hac potissimum de causa quoniam non publicum nostri arbitri vt Iudicis est offi- cium, sed sufficit fidem eius, tanquam boni viri, litigantes sequi velle, siue clericus sit siue laicus, paterfamilias, siue fi- lius. Iure meritoque autem foeminae, muti et surdi, furiosi, pupilli, ad arbitrium non admittuntur, cum ea, quae ad ar- bitrum requiruntur, omnia ignorare videantur.

§. V. *Eius Officium.*

Iam veniamus ad ea quae sunt arbitratorum officii. Versantur autem circa eas tantum causas, quae in priuatorum sunt arbitrio et voluntate constitutae, cum in vniuersum nemo aut pacisci aut agere quicquam possit in re, quae in eius commercio esse nequeat, aut cuius ipsi ius nullum tribuatur. Itaque in omnibus causis locum habere nequit, quae ad rempublicam spectat, in quibusque eius salus vtilitasque agitur, quae causae et iure scripto obtinent, et legibus perspicuis ac disertis continentur. In arbitrium ergo venire non possunt causae matrimoniales, restitutiones in integrum, pupillorum causae, in quibus decretum Magistratus requiritur, causae populares quae ad totius reipublicae vtilitatem spectant, criminales, quae ius publicum, non paciscentium priuatum attinent, res iudicata, cum compromissum in re dubia fieri soleat, hic autem nulla amplius dubitatio superfit. In eiusmodi causis arbitri iudicium versari non posse, leges expressae docent. Simul autem arbitri in se recipere arbitrium, ab hoc promisso amplius recedere nequeunt, sed sententiam ferre ex legum verbis tenentur *L. 32. 12. L. 3. 1. ff. de Rec.* quod et iure Germanico stabilitur quo omnia pacta seruanda esse praecipitur. Erit autem sententia ita ipsis formanda, vt, causae cognitione peracta, et rationibus vtriusque partis auditis, ordine et modo, in iudicii cuiusque territorii recepto, prolatis, cum ad similitudinem iudicorum redacta sint arbitria *L. I. et 13. ff. eod. L. 14. pr. C. de Iud.* iuri communi receptoque quam maxime conueniat. Accidere autem interdum solet, vt per compromissi pactum alius a partibus in causa dubia procedendi

cedendi modus praescribatur, vel disertis verbis pacto constituitur, quod ius arbiter in decidenda controuersia sequi debeat, quo facto ab eo, quod in vniuersum ipsi obseruandum est, auctoritate pacti liberatur.

§. VI.

Sententia Arbitri.

Pronunciata iam ab arbitro sententia ab ea recedendi eamque mutandi potestas arbitro nullo modo conceditur *L. 19. §. fin. D. de recept.* cum ea prolata, partes et victrices maxime ex compromisso ius nanciscantur, quod arbiter iis auferre nequit, et semel lata sententia omne euanescat arbitri officium. Sed et litigantes ei sententiae stare et obtemperare, siue aequa siue iniqua sit *L. 5. C. de Recept. L. 27. §. 2. et 32. §. 14. eod. L. 76. ff. pro socio*, tenentur, non propter ipsius arbitri sententiaequae auctoritatem, sed in primis ex pacto compromissioque. Qua de causa nulla restitutio iure Romano, nulla appellatio locum contra laudum habebat. *L. 32. §. 14. L. 27. §. 1. ff. de Recept.*

§. VII.

Superarbitr Germanorum.

Quod si ad Ius patrium aduertemus, aliam apud Germanos obrinnisse consuetudinem deprehendemus, qua, aut in diuersa arbitrorum, cum quatuor, sex, vel plures eligere solerent, sententia aut auctoritatis gratia, utebantur. Solebant enim plerique antiquorum, si arbitros constituerent, hoc simul pacto efficere vt se, si paria suffragia essent eorum arbitrorum, adstringerent, alii, quem super arbitrum

trum *Obirmann*, *Obmann* vocabant, et hunc in finem elige-
bant, vt suam autoritatem interponeret, sententiamque
quam putaret aequam, definiret, se obtemperaturos esse. De
quo super arbitro multa lectu digna I. A. KÖPP in *auserles-*
enen Proben des teutschen Lehnrechts p. 63. et G. L. BOEH-
MERVS singulari Dissertatione Gotingae habita protulerunt.

§. VIII.

Transitus ad Iura Feudorum.

Quibus in genere de arbitro dictis iam non adiciendum
esse putamus multos in Romano Germanico Imperio in liti-
bus dirimendis olim hanc viam fuisse secutos, cum nemi-
nem hac in re dissentientem habiturum existimem, et innume-
ra in antiqui mediique temporis scriptoribus, et Diplomatum
collectoribus, vt Ludewigio Gudeno aliisque exempla et Do-
cumenta possint proferri. Nec officii ratio a nobis postula-
re videtur, vt, antequam ad sententiam nostram defendendam
propius accedamus, de Feudis, eorum essentialibus, naturali-
bus et accidentalibus multa differamus, qui non compen-
dium Iuris Feudalis scribendum nobis sumserimus, sed de quo-
dam eius Iuris capite explicare, et ea tantum in limine pro-
ferre constituerimus, quae lucem quandam ipsi rei affundere
possent. Quare cum quaedam vasallorum in feudis Iura no-
bis in vltiori demonstratione prodesse videantur, ad ea iam
breuissimis explicanda nos accingemus.

§. IX.

Vasallo in feudis tribuitur Dominium.

Maximum et principale, quod vasallis concessum Ius,
sine dubio Dominium vtile vocandum erit. Describitur id

B

autem



autem sic, ut sit potestas legitima feudi fructus percipiendi, cum omni exinde proueniente utilitate, illudque possidendi, et a quocunque possessore vindicandi. Iam quidem fuere, qui uocabula utilis et Directi Domini reiecerent, cum legibus feudalibus ea non reperirentur. *vid. Diff. nostram d. Iur. et act. tit. feud. concessis. §. 4. sq.* Quoniam uero doctrinae causa a Ictis sit usurpata, et in *II. F. 8. §. rei autem scriptum legatur*, uasallum *tanquam dominum posse feudum sibi vindicare*, nobis quoque illa admittenda uidentur. Sufficit omnes in eo conuenire, singulare Ius Domino Directo, aliud uasallo in feudis esse, quod in Legibus Feudalibus ut *II. F. 8. §. 2. et II. F. 23. 2.* sub uerbis *Proprietas* quae Domino directo, et *possessio et ususfructus* quae uasallo conceduntur, continetur; uasalli-que ius in eo consistere, ut omnes ex feudo fructus percipere possit. *II. F. 28. c. si uasallus. STRVV. S. I. F. X. I. 1. 3. et 6.*

§. X.

Seruitutes imponere feudo sine consensu Domini Uasallus potest.

Eti vulgo ei soli facultas seruitutem imponendi conceditur, qui Dominium plenum et irreuocabile habeat, tamen nihilominus uasallo dominium utile in feudo habenti et potestas competit, rei feudali seruitutem imponendi. Scimus enim primo solum uasallum, ornatum esse dominio utili, eoque sibi ipsi in fructibus ex feudo percipiendis damnum quodlibet inferre poterit; Deinde nec leges feudales diserte hoc ius ipsi adimunt, *II. F. 8. v. quid ergo*, cum eiusmodi seruitutis impositio in nullius, nec Domini directi, nec simultanee inuestitorum detrimentum uergat, sed morte uasalli eiusdemque heredum, qui in omne ius eius succedunt *arg. II. F. 45. exspiret*

spiret ROSENTHAL. *S. I. F. IX. 13.* VVLTEL. *I. 10. 50.*
 LVDWELL. *Syn. p. 383.* WESEMB. *XI. 7.* Quod si vafal-
 lus feudum tenet alienabile, idque imposita feruitute, cum
 hoc onere vendat, emtor sane ita illud possidere cogetur, nec
 Dominus hoc detrectare onus posset, si feudum venditum,
 iure protiniseos, vindicare vellet, quum emtoris loco esset,
 adeoque ad ea omnia teneatur, ad quae emtor obligatus fuis-
 set. v. HORN. *Ip. F. X. 6.* TARNOV *de F. Mecl. p. 347.*

§. XI.

Feudum in subfeudum concedere.

Subfeudum dicitur esse concessio dominiū vtilis subordi-
 nati, a vafallo alteri aeque habili facta, sub obligatione ad fide-
 litatem feudalem ipsi praestandam. Eo autem modo haec
 fieri solet concessio, quo vafallus feudum a Domino directo
 accepit, cum non plus Iuris quis in alterum transferre valeat,
 quam ipse in feudo possidet. Fuere quidem v. TELGMANN.
d. genuina sign. Vaf. p. 189. a qui hanc sub infeudandi, vt vo-
 cant, potestatem vafallis adimendam esse contenderent, quod
 et nouissime III. ESTORI *3. parte der kleinen Schriften. Obs.*
XI. placuit, ob speciem alienationis, quam subinfeudatio-
 nem habere aiunt, qua FRIDERICI II. *F. 55.* constitutio-
 ne grauiter interdictum sit; Hanc vero constitutionem Fride-
 rici ita generalem non esse, quod vel ex lectione eius appa-
 ret, aduersariorumque, inter quos Hottomanni, argumenta non
 admodum firmo niti fundamento BITSCHIVS *ad II. F. 26.*
§. 20. ITTER. *d. F. I. p. 946.* et SCHILTER. *ad I. F. A. p.*
204. edit. Schertz. docuerunt. Antiquissimis sane tempori-
 bus vafallo vtile feudi dominium tribui non poterat cum I.

F. 1. §. 1. rem quando vellent poterant auferre. vt vsumfructum precarium PFEFFING. ad Virr. T. II. p. 9. §. 5. ergo nec potestas feudum in subfeudum dandi. Insequenti vero tempore cum non precaria essent amplius feuda I. F. 1. §. 1. SCHAN-NAT. client. Fuld. c. 1. §. 1. LUDDEWIG. Ius client. p. 57. sed vasallis iura domini II. F. 8. §. rei. II. F. 26. §. 21. II. F. 15. et 34. 1. concessa essent, hanc quoque facultatem ipsis non solum tacite concessam esse colligimus, sed disertis verbis legum eam contineri animaduertimus. Ita II. F. 3. 1. per feudum tamen cuiilibet dari potest II. F. 9. init. si vero vel totum vel partem volebat per feudum aliquem inuestire, hoc licebat ei sine fraude facere. II. F. 26. §. 20. Beneficium a vasallo in feudum recte dari potest ex Capitulari CONRADI II. F. 34. §. 3. in feudum tamen recte dabit quod integrum apud CUIAC. d. Feud. L. 5. T. 38. reperitur. II. F. 55. 4. si vasallus de suo feudo alium vasallum habuerit I. F. S. c. 14. Ein gut mag man ges Herren sin, also daz ez einer von deme andern habe doch musz eines die gewer sin. II. F. A. c. 30. Ein güt mag man ges Herren sin, als das es ein man dem andern libt. Et eiusmodi subfeudorum multa vbiq; exempla occurrunt, vid. III. ESTOREM. c. l. STRVVIJ Iurispr. c. 6. LEYBEN Elect. III. n. vbi exemplum affert subfeudi in quo tres subvasalli occurrunt, et apud alios innumeros. In feudis maioribus et regalibus eadem obtinent, inprimis cum omnia iura vasallorum in iis excellentiora minoribus deprehendantur, ITTER. de F. l. c. 22. Neque damnosum hoc Dominis directis erat; cum seruitiorum militarium potissimum causa concederent feuda, et hac subinfeudandi ratione auxilia non vnus, sed plurimum hominum haberent, vid. THOMAS. de causis prob. alien p. 13.

§. XII.

Locare feudum potest.

Feudum locare vasallum posse, multi sane opinati sunt, adiecta tamen hac cautione, ne id ad longum tempus fiat, quod alias dominium rei in conductorem transferatur: cum vero ratio haec longe sit falsissima, *vid. MOELLER. Diss. Feud. p. 435.* et loco fructuum, quorum vasallus plenus est dominus, quoque vendere donare etc. potest, Vasallus mercedem accipiat, per locationem deinde nullum ius in re in alterum transferatur, *L. 39. D. loc. optimo iure ad quodcunque tempus vasallum feudum locare posse contendimus, adiuti II. F. 9. r. licet possit locare et II. F. 73.* Neque, ut quidam voluere, pro alienatione putanda erit locatio, cum nusquam in legibus ad eam referatur, nec interdictio locationis in Legibus occurrat. *v. SCHVBERT, D. de Iure locandi. vasall.*

§. XIII.

Quod ad diuidendi feuda Ius vasallorum attinet, inquirendum videtur initio, an feuda sint maiora siue minora? Minora si consideramus, in iis diuisionem obrinuisse, licitamque fuisse cum *I. F. L. II. F. 55. §. 2. Praeterea ducatus, marchia, comitatus, de cetero non diuidatur; aliud autem feudum si consortes voluerint, diuidatur* tum *I. F. S. c. 32. wollen sie aber sich scheiden mit deme gute, sie teilen usz unter sich ane des herren urlob* nobis auctoritatem praebet. In Maioribus autem feudis eam vasallis non fuisse datam potestatem ex *II. F. 55. 2. ex Dispositione Iuris Suenici lib. I. c. 20. §. 4. Man mag kein Fürsten Amt zweien Mannen nicht geleben. Geschicht es aber, jedweder mag mit Recht darvon nicht ein*

Fürst gefeyn noch gebeiffen. Also mag man weder Marckgraffschafft, noch Pfaltzgraffschafft, noch Graffschafft, noch Landgraffschafft theilen, und werden die getheilet, so haben sie ihren Nabmen verlohren. De Electoratibus ex A. B. patet. Neque huius prohibitionis ratio deest, cum ea illustrissimarum familiarum splendor et decus magis conferuetur. Etiam si vero haec ratio sufficiens adsit, et apud germanos in feudis maioribus diuisionem nunquam obtinuisset GOLDASTVS de Maior. L. II. c. 15. tradat v. HEYDENREICH. de alien. feud. p. 100. tamen KNICHEN. de Sax. non prou. iure c. 3. Ducatus marchionatus principatus etc. diuisioni obnoxia esse contendit; quod tamen et hodie vix accidet, cum in omnibus pene eiusmodi feudis Ius primogeniturae introductum sit.

§. XIV.

Num oppignerare feudum possit vasallus?

Antiquis sane ante Lotharium et Fridericum temporibus licebat feuda alienare II. F. 9. in it. II. F. 44. in it. si vasallus feudum alienauerit, quod in quibusdam curiis pro parte, in quibusdam pro toto olim licebat; intermedio tempore feudi partem I. F. 13. in it. si clientulus voluerit partem suam feudi alienare, id est, medium, sine domini voluntate poterit hoc facere; Ex quo sane colligitur, si maius permissum fuerit, h. e. alienatio, minus etiam licuisse, et vafallos feuda ea ratione oppignerare potuisse, cum nulla lege eius temporis id veritum sit; sequenti autem tempore per II. F. 55. FRIDERICI constitutionem omnis alienatio et oppigneratio sine domini consensu abrogata fuit, vid. et I. F. S. c. 69. *Sezet auch ein Man sin len uz ane fines Herren irloub, von deme erz hat.*
Der

Der Herre muß innè wol gebiten mit urteilen darz erz lose bin-
 nen sechs Wochen, und en tut erz nicht, her wettet darumbe;
 Quare merito censendum eam etiam nunc sine domini con-
 sensu inualidam esse. Quod si vero animum ad feuda maiora
 et regalia attendimus, in iis liberio rem vasallis concessam esse
 videmus potestatem, ex sublimi territorii lure promanantem,
 vt, non quidem totum, partem tamen oppignerare possint,
 quae multis exemplis et rationibus facile demonstrari queunt.
 AdI FROMMAN D. de oppign. feud. reg. partic. sine Dom. conf.
 perm. §. 25. sqq. MOSERI Verm. Schrift. II. 1. 19. STRVV.
 Elem. I. F. p. 346.

§. XV.

Actiones instituere potest.

Demonstrauimus supra vasallis Dominium quoddam
 quod vtile vocari solet, Iuribus Feudalibus tribui; qua ex re
 facillime intelligi poterit, ei etiam, ex illo ipso dominio Va-
 fallo esse Ius agendi in Iure, ipsosque Vasallos actiones insti-
 tuere posse. Ita nemo inficias ire poterit, cum inuestitura
 Ius possidendi et Dominium acquirat, possessoriis actionibus
 vasallum iure vti II. F. 22. non solum posse, sed etiam peti-
 toriis. Contra Dominum ergo ei est actio ad praestandum
 id quod inuestitura promisit, KLOCK I. Conf. 4. 20. contra
 quemcunque vero vtilis rei vindicatio II. F. 8. init. Rei autem
 per beneficium inuestitae vasallus hanc habet potestatem, vt tan-
 quam dominus possit a quolibet possidente sibi quasi vindicare.
 II. F. 43. si controuersia inter vasallum et alium de beneficio fue-
 rit, aduersario proprietatem totius vel partem vel aliud aliquod
 Ius sibi vindicante causa per vasallum etiam domino absente
 quasi



quasi propria ad finem perducatur. Ipse enim solus utiliter agendi et excipiendi habet potestatem II. F. 26. 21. v. BARTH D. de lib. Vas. litig. potestate.

§. XVI.

Transigendi de Feudo habet potestatem.

Et si vero STRYKIVS aliique dicant transactionem vassallorum tum demum valere, si feudum ea conferretur; tamen longe aliter rem se habere reperiemus, si rationes perpenderit, legesque diligentius inspexerimus. Dicitur enim primo II. F. 26. 21. *Si Vassallus de beneficio suo agat vel comeniat, siue obtineat siue non, licet ignorante Domino fiat, omni tempore firmum erit istud Iudicium, nam et transigere recte poterit; nec quod accepit transactionis nomine feudum erit.* Deinde et II. F. 43. *si pro eo, aut contra eum iudicatum fuerit, vel cum aduersario transegerit, dummodo fraudulenter actum non sit, etiamsi post beneficium domino aperiat, tale erit ac si eo causam agente iudicatum fuisset, et ideo ab eo ratum haberi oportet.* Ex his itaque legibus vassallorum potestas transigendi optime demonstrari posse videtur; cui tamen haec additur cautio, ne fraudulenter fiat; quae vero non aliter potest explicari, quam vassallis non licere transigere, si dolo, negligentia et voluntate cedere feudum velit, non vero perspectis aduersarii rationibus, an leues sint, siue graues, quibus perspectis feudum maiori iure retinere potuisset. Nulla itaque ibi restricta transigendi potestas deprehenditur, ut quidam voluerunt; sed concludere adeo possumus, etiam diminuendi amittendique feudi causa, si alius allodium esse dicat, vassallum transigere bona fide posse, a LYDOLPH. *Obs. 92.* et in
 sciente

sciente Domino, cum hoc modo, si quis rationibus grauius
 contra vassallum vitur, dicere non possumus, possessorem an-
 tea Dominum feudi fuisse legitimum. Imo ex *II. F. 26.* cla-
 rissime patet, vassallum alteri tradidisse feudum, et pro eo rem
 quandam accepisse, nisi enim hoc cesserit, nihil sane quoque
 pro eo accepisset. Neque, nisi de hoc casu est locus *I. F. Li.*
 intelligendus, necessarium fuisset, de eo casu legem ferre; si
 vassallus feudi possessor maneat, alterique aliquid allodii daret;
 Quod si vero Dominus deinde alia ratione demonstrare posset,
 sibi ius quoddam firmiter alterius iure esse, et ipsi facultatem
 repetendi concessum feudum non adimimus. *v. STRUV.*
Synt. I. F. XII. §. 5. *LVDOVICI Rehus Process. p. 125.*
HORN. 19. u. Vassallis Imperii illustribus, cum per se latiore
 in feudis potestatem habeant, etiam transigendi potestas con-
 cedenda erit; quod et pluribus asserunt *KLOCK I. Conf. 7.*
114. sqq. *LYNCKER I. Resol. 4. 12. 14.* *vid. ITTER de F. I.*
p. 977.

§. XVII

Alienare quodammodo potest.

Multis sane legibus quas supra protulimus, imprimisque
II. F. 55. alienationem illicitam esse concedere cogimur. Sed
 tamen alienatio ista non simpliciter et absolute erit accipienda,
 sed dicendum potius eam tantum esse vitatam, quae volunta-
 rie, inconsulto, neque perspectis Iuris rationibus fiat, ne
 legibus sancitum esse dicamus, quod ipsius naturae Iuri, ratio-
 nique contrarium sit. Non enim volunt hoc leges feudales,
 si quis dicat, feudum ad se pertinere, idque multis, idoneis,
 rationique conuenientibus et grauissimis documentis probet,

C

vt

vt nihilominus vasallus feudum retineat, nec alteri tradere cogatur; quod sane non Ius sed iniustum foret, suum domino non cedere; sed hoc tantum ne animo leui, voluntarie et nullis rationibus Iuris ductus alteri feudum relinquat. Cernimus id vel ex *II. F. 55.* verbis *collusione, Figmentum*, quibus vsus non fuisset legislator, si a nostra sententia abhorruisset. Quod si vero voluntarie alienauerit feudum in extraneum, Dominus Directus feloniae titulo illud sibi vindicandi Ius habet; Vasallus autem cadit feudo, et ex contractu emtori ignorantanti, ad id quod interest, iure Feudorum et Ciuili tenetur. Sed et alia via superest, qua alienatio poterit corroborari; Fac enim ei datum esse feudum a Vasallo, qui proximus in feudo successor sit, vel simultanee inuestitus, sane ea ratione valebit, quum ea in Domini detrimentum non vergat, nec dicere quis possit, aliquem Domino directo esse obtrusum, quem vasallum habere nolle. *II. F. 14. et 31.*

§. XVIII.

Refutare feudum adeo potest.

Vltimo loco recensitionis Iurium vasalliticorum, liceat nobis mentionem refutationis feudi iniicere. Est autem refutatio, derelictio dominii vtilis in feudo eiusque in Dominum directum concessio. Possit autem vasallum feudi Dominium vtile domino inuito reddere, et Iura recepta Feudalia, *I. F. L. II. F. 5. pr. 2. pr. 14. 38. 49.* et germanica *I. F. A. c. 5. 69. 70.* probant. In Feudis maioribus Imperii idem obtinere *ITTE- RVS de F. I. 22. 2.* et *LVDEWIG Rel. MSt. T. IV. p. 245.* aliique rationibus et exemplis ostendunt; Adiici tamen hoc solet, idque non modo *I. F. L.* sed et *AVREA BVLLA c. 14.*
refuta-

refutationem non intempestive nec alio illicito modo et inimica de causa fieri debere, simulque in eos qui non opportune et malitiose feuda refutant, grauis honoris et Banni poena A. B. scripta deprehenditur.

§. XIX.

Transitus ad ea quae inscriptione defendenda nobis sumsumus.

Quibus praemissis iam ad rem cuius causa haec scripta sunt, propius accedamus. Constituimus autem vasallis, de feudo siue causis certis feudalibus litigantibus, ius potestatemque vindicare, coram arbitro causam ad finem perducendi. Nimis sane arrogans multis videri possim, quod, cum varii iidemque Iuris peritissimi sint, qui aut *ὡς ἐν παρόδῳ* hac de re verba fecerint, aut integros libellos de arbitro feudali conscripserint, vt STRYCKIVS in *Diss. de arbitro feudali* et KOPPIVS fecere; Ego iam de eadem re velut melius quid aut certius allaturus scribere instituerim. Sed cum, quod pace tamen istorum virorum mihi proferre liceat, STRYCKIVM in interiora rei non penetrasse, neque ordine processisse, in KOPPII vero libello *von Obmannen der alten Teutschen* quod in eius *Proben des Teutschen Lehn-Rechts* ab initio cernitur, quem virum ob insignem eius eruditionem etiam post fata maximi facio, quaedam aut parum recte dicta, aut saltem dubia esse deprehenderim, reliqui vero ita inordinate rem tractauerint, vt adeo interdum sibi ipsi repugnare videantur, non sane aliqua reprehensione me dignum esse putavi, si quae mihi in mentem contra eos venerint, quacumque mea sit sententia, aliis demonstrarem.



§. XX. *De arbitro, causa, et Iudicio feudali.*

Arbitrum Feudalem aio esse eum qui in litigio feti controuersia feudali a partibus litigantibus libere ex pacto ad litem cognoscendam dirimendamque sumitur. Causam autem feudalem eam controuersiam appello; quae de re vel facto feudali inter dominum et vasallum, vel inter vasallos, qui in eadem curia dominum recognoscunt, agitur. HORN. *I. F. c. XXV. §. 1.* MENCKEN *de foro comp. Vasall. et Sim. inu. S. I. §. 4.* ESTOR *de Iurisd. Cur. Client. C. VI. §. 30.* KAYSER *d. caus. feud. ab init.* Iam quidem hae causae, et Iure feudali Longobardico et nostro, coram iudicio proprio dirimi iubentur, et quidem si inter dominum et vasallum lis sit exorta *I. F. 1. I. F. 10. II. F. 16. I. F. A. c. 18.* Pares curiae iudices esse dicuntur; si inter reliquos vasallos et litigatores Dominus *II. F. 55.* non exclusis paribus Curiae *I. F. 18. II. F. 15.* iudicat; idque adhuc in quibusdam territoriis in usu esse, STRVVIVS *Iurispr. feud. c. XXII. §. 5.* et IENICHEN *de usu hod. par. Curiae* docent, in plerisque autem omnes has causas ad Regimen territorii siue etiam Iudicium prouinciale aulicum pertinere cernimus. In Feudis imperii et maioribus quidem Imperatorem, Iurisdictionem, et ipsius vice Iudicium Imperiale aulicum, sibi reseruasse, in minoribus autem et Cameram cum Iudicio Aulico Imperii concurrentem Iurisdictionem exercere, et vsus et Imperii leges docent. v. III. MASCOVII *D. de par. Curiae.* LVDOVICI *Rehns-Process. c. I.* HENNE *D. de Iure Cognosc. in F. Reg.* Quanquam autem ex his patet, cui iudicio in controuersia feudali locus esse debeat, tamen vasallis, licentiam, in causis feudalibus in arbitrum

XX 2

fine

fine consensu Domini valide compromittendi, concedi debere, et rationibus, legibusque confirmare, saepissime id factum fuisse, et aduersariorum sententiam, etiamsi quandam speciem habere videatur, tamen satis grauibus rationibus non munitam esse, ostendere conabimur.

§. XXI.

Vasallos arbitrum ad litem dirimendam eligere posse docet Ratio Prima a Iuribus eorum in feudo desumpta. Ius Primum.

Incipiamus itaque ea corroborare quae nobis defendenda suscepimus, atque hunc ordinem sequamur, vt a leuioribus ad grauiora argumenta progrediamur. Utendum primo ea ratione nobis videtur, quae a reliquis iuribus vasallo in feudis concessis pendet, quorum conditionem atque vim nisi maiorem, tamen aequalem compromisso esse, fatendum est. Relictam cernimus vasallo in feudalibus causis, Iure beneficiario, hanc facultatem, vt sine Domini Consensu actiones instituere et litigare possit, quod supra docuimus, et aliis etiam legibus II. F. 15. et 34. vbi Iudex et arbiter coniunguntur demonstrari satis potest. Iam vero si compromissi naturam consideramus, sub potestate litigandi illud contineri videmus. Quod si concedere quis nollet, de quo tamen nulla mihi dubitatio est, eum hoc sane mihi dare oporteret, litigare coram iudice maius esse compromisso, adeoque si maius permissum, minus etiam licere.

§. XXII.

Ius alterum.

Transigere vasallos posse in superioribus vidimus. Iam quidem aduersariorum, transactionem vasallo in causis quibusdam

busdam modo tribuentium, sententia uti possem, qui compromissum aiunt speciem esse transactionis, atque sic concludere, si transactio licita, etiam omnia, quae eiusdem sunt speciei licere debere. Sed ab hac ratione maxime mihi recedendum videtur, cum haec duo longe sint diuersissima. In transactione enim aequitas et probabilitas et controuersiam vitandi studium cernitur; In Compromisso autem ius ipsum et procedendi ordinem locum obtinere perspicimus, neque eorum sententia *argum. C. 5. X. de Arbitr.* poterit confirmari, quo ducti, eum, qui transigit, aliquid vel secundario retinere vel dare vel promittere aiunt, eaque ratione quoque eum, qui compromittit, se arbitri sententiae statutum promittere, hocque modo aequalitatem transactionis et compromissi se ostendisse putant, cum eodem argumento uti possemus, si, nudam promissionem, qua e. gr. librum alicui donare pollicemur, transactionem et compromissum esse contendere vellemus. Itaque alio modo concludimus, dicimusque, si verum sit transactionem esse periculosiorem compromisso, cum in ea non ius strictum, sed probabilitas, amicitia sola, et pacis cupiditas rem dirimat; in hoc autem ab arbitro inquiretur, quid vtrique partium iure scripto et consuetudinario relinquendum, addendumue sit, sane quod cum minori detrimento et plane nullo coniunctum sit, compromissum, vasallis concedendum esse.

§. XXIII.

Ius tertium.

Qui rerum suarum liberam administrationem habet, eum compromittere posse non Ius, sed ratio ipsa docet. Videmus

mus autem Vafallo tribui dominium quod vtile in feudo vocatur, eoque liberam earum rerum administrationem, quae ad dominium vtile eius possessionem et vsumfructum pertinent, vafallum habere, defendere cogimur. Quae cum Vafallo concedenda sint, sane cur ipsi in eiusmodi rebus interdicere compromisso velimus, non perspiciamus. Ad Iura domini vtilis refertur hoc, vt libere vti frui feudo vafallus possit; Fac autem alium, sibi seruitutem in vafalli feudo esse, contendere; sane vafallus in arbitrum ad litem hanc componendam compromittere poterit, cum seruitus ita comparata esse queat, vt cum in vtendo fruendo feudo impediatur. Neque opponere quis debet, eam causam ad dominium directum pertinere, remque ipsam feudalem afficere; pertinet enim ad vsumfructum vafalli et haecenus eius intuitu realis seruitus erit, si arbiter laudo eam actori adscribat; qua dominum directum, personae vafalli inhaerens, quae, si feudum ad dominum directum redeat, evanescit, et viuente vafallo eiusque haeredibus solummodo perdurat.

§. XXIV.

Ius quartum et reliqua supra commemorata.

Qua autem argumentandi ratione in his tribus vafallorum Iuribus vsus sum, eam et in reliquis, supra explicatis recte adhiberi posse arbitror, existimarique, cui facultas seruitutem feudo imponendi, feudum in subfeudum concedendi, locandi, diuidendi, imo quodammodo alienandi conceditur, eum et arbitrum in causa feudali sumere posse. Haec enim iura aut eandem aut adeo maiorem compromisso vim habent; neque certe saepissime compromisso aliquid maioris momenti effice-

efficeretur. Quod aduersarii autem vt causam reiiciendi compromissi in his rebus proferre solent, compromissum nempe tendere ad alienationem, iis plane hic concedere possem, cum vassallis potestatem quandam alienandi supra asseruerim; Sed cum saepissime fieri possit, vt arbiter de retinenda possessione pro vassallo, aut aliud intermedium laudum ferat, argumentum a prohibita alienatione ad prohibitum compromissum non procedere videmus.

§. XXV.

Ratio Secunda quia Domino directo nullum fit damnum.

- Qui contrariam sententiam fouent, arbitro in feudis ideo nullum locum relinquunt, quia aliquid pronunciare posset, ex quo Domino directo damnum metuendum esset. Nostrum itaque nunc erit, paucis demonstrare, Dominum nihil exinde
- a. passurum incommodi esse. Primo enim ex ante dictis patet, non nisi virum ratione ac scientia praeditum arbitrum esse eligendum, huncque nonsolum pacto inter ipsum et partes inito, sed et ipso Iure, obligari, ad sententiam Iuri non contrariam, quantum in ipso sit, omninoque ita ferendam, ne vllum partium studium appareat. Accedit neutrum litigantium vltro et voluntarie in eum compromissurum esse, de cuius
 - b. prudentia aut fide dubitandi idoneam causam habeat. Secunda ratio est, quia Ius Domini directi, compromisso facto, saluum manet, etiamsi quid ei aduersum in laudo poneretur; Nam ipsi inuito ius suum adimi nequit, vassalique litigantes de re sua, non autem de re aliena, ergo neque de Iure ad Dominum pertinente, compromittere potuerunt. Tertio neque Domini Iurisdictio damnum exinde capere poterit, cum compromittentium

promittentium pacto Domini Iurisdictione in arbitrum non transferatur, nec natura possit, sed libero litigantium arbitrio, ad arbitrum de Iure in causa dubia dicendo preces referantur, lataque sententia arbitri officium expiret. Quarto etiamsi sententia arbitri ductus vasallus alii feudum concedat, ne sic quidem dominus aliquid detrimenti capiet; Ipso enim inuito vasallus a nexu suo non liberatur, et dominus iustam ob causam nouum possessorem non admittens, sed ei denegans inuestituram, suo iure vtitur. Eaque ratione nec agnatis successoribus aliquid incommodi accidet, nisi in compromissum consenserint, cum Laudo nemo deuiociatur nisi compromittentes, aut compromissum suo consensu adprobantes.

§. XXVI.

Ratio Tertia ab utilitate desumpta.

Quaestione de Feudo inter vasallos orta, arbitroque litis constituto, melior quodam tempore mihi videtur Domini conditio fieri, si nihil contra compromissum proferat. Si enim in ea causa, per Iudices feudales, vt in litibus feudalibus ordinarios Iudices, sententia contra vasallum pronuncietur, qua feudum ipsi adimendum esset, sane eo certissime priuandus, feudumque aduersario tradendum erit. Hoc tempore Dominus directus iure suo excidit; quod si vero per arbitri sententiam ad alium peruenerit, semper ius suum ipsi saluum conseruatur. Eadem in causa, si lis ipsum feudum afficit, vasallum iuuare dominus et defendere obligaretur. Cum autem in litibus sint faciendi sumtus, et partim ex iis multum oriri soleat damni, his superfedere dominus potest, si finem controuersiae et laudum expectat, quo contra eius voluntatem lato, omni

D

loco

loco et tempore, suo iure vti potest. Ultimo loco etiam hoc considerandum, fieri posse, vt, qui contra vasallum agat, feudumque ad se trahere contendat, grauissimis et ita comparatis rationibus in se defendendo vtatur, vt difficillimum sit, ad ea ita respondere, ne feudo priuetur vasallus. Quod si ergo tali tempore Dominus directus compromissum fieri sinat, hac opportunitate fructur, vt tempore deliberandi, dum res in compromisso est, accepto, de ratione feudi vindicandi, sibi que conseruandi cogitare possit.

§. XXVII.

Ratio Quarta quia quisque suo priuilegio renunciare potest.

Etsi quidem causis feudalibus forum singulare sit constitutum, et Vasallis litigantibus Domini et parium curiae iudicium adire leges iubeant feudales, vt *II. F. 15. fm. II. F. 46.* adeoque Pontifex clericos ad istud forum remittat *C. 5. X. d. iud. C. 6. X. d. for. comp.* idque ex vasalli et Domini directi voluntate expressa siue tacita fluat, quapropter ius de causis feudalibus inter vasallos iudicandi ad naturalia refertur; v. *EYBEN. d. caus. feud. S. IV. 9. S. V. 9.*; Tamen, eo iure, hae causae alterius iudicis diiudicationi non plane eximuntur, neque vasalli lites suas istis iudicibus dirimendas committere adeo coacti videntur. Expressione enim certorum casuum, in quibus reus, vt forum feudale sequatur, compelli potest, non simul continetur praeceptum hoc, vt extra istos casus iudici ordinario seu alii qui non iudex est feudalis a dirimenda lite feudali abstinendum sit. Minus recte ergo aduersarii conditionem causarum feudalium, tanquam ad singulare forum pertinentium, longe aliam hac in re et separatam esse ciuilibus aiunt,

ant, neque, vt in his ciuilibus compromissa admittuntur, ita nulla ratio adest, quare in feudilibus causis decidendis arbitrum excludere velimus. Qua in re quidem praeter alios Iurium interpretes consentientem habemus STRVVIUM S. I. F. c. XVI. Th. 8. n. 1. in eo autem, quod huic adiecit, et cuius obiter hic mentionem facere nobis liceat, dissentientem, cum nobis sine causa concedere videtur, iudicem qui ciuilibus praesit, ex prorogatione in causa feudali cognoscere non posse. Et si quidem Iurisdictio feudalis competat Iure singulari, tamen hoc ius peculiare, vt demonstrauius saltem eo tendit, reum a Domino in causa feudali citatum ipsius iurisditionem declinare non posse, neququam prohibet, ne reus fauori suo renunciaret, et iudicis incompetentis iurisditionem proroget. II. F. 15. fin. Neque, si quis causas ecclesiasticas nobis obicere vellet, comparatio harum cum feudilibus procederet. Concedendum sane est Magistratum ecclesiasticum iure vt singulari, vi cuius clerici iudicis secularis iurisditionem prorogare prohibentur, C. 12. 18. X. d. for. comp. non tamen inde concludendum, iudicem feudalem simili iure gaudere, cum quoad hunc legis vel iuris dispositio cesset; quae et pariter abest in eo iudice qui iurisditionem habet patrimoniale. Infirmo quoque nititur SCHRADERI sententia fundamanto, cum de Feud. P. X. S. 5. n. 229. ait, vasallum ex fidelitate obligari, vt coram nullo alio iudice quam feudali in controuersis feudilibus actiones instituat; Cum Itaque nihil adfit impedimenti, quo minus vasallus per prorogationem coram iudice incompetente litiget, ita multo magis ipsi facultas coram arbitro, cui proprie nulla competit Iurisdictio, causas peragendi tribuenda erit.

D 2

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Ratio Quinta quia interdum pares curiae locum habere nequeunt.

Iam alia ratione utar, causasque quasdam proferam, in quibus, si non necessario vasalli obligati sunt ad compromittendum, tamen vtilius et melius esse patet, arbitrum ad eas controuersias dirimendas sumere. Dominus quidem et pares Curiae sunt *II. F. 15. 1.* Iudices ordinarii; fieri tamen interdum potest, ut paribus careat Dominus *II. F. 16.* Quo tempore aiunt ROSENTHAL et SCHRADERVS Dominum, si pares in alia curia habeat, ex vicinia eos arcessere ad iudicandum posse. Sed cum nulla hoc sit lege praeceptum, et alia haec foret curia, cui vasalli ii, inter quos controuersia est exorta, non subsint; quibus vero vasalli ad eam pertineant curiam, quae paribus ex eorum gremio sit efformata, sententiam eam non admitendam esse opinor. Quid si pares curiae, ut suspecti, ex probabili aliqua de causa recusentur? quod sane beneficium, ut nemini, ita nec vasallis auferendum.

Quid si pares in ea lite ut testes sint producendi? In his profecto cum nullum iudicium feudale adsit, alia ratione agendum. Qua igitur ratione plerique ordinarium iudicem hic locum habere putant, eadem ratione et compromissum in arbitrum valere, neque reiiciendum esse concludimus.

§. XXIX.

Ratio Sexta cum legibus discretis non veritum sed concessum legatur;

Imo I. F. L.

Quod nulla lege interdictum, neque Legibus contrarium, id admittendum esse, certo certius quibus putabit. Iam vero si leges omnes feudales summa diligentia perferutur, nusquam

piam locum inuenimus, quo vasallis arbitrum eligendi facultas adimatur. Qua ratione vnica ad sententiam nostram probandam contenti esse, vasallisque hoc ius tribuere possemus. Sed et, consuetudinibus feudalibus potestatem coram arbitro litigandi, potius approbari quam improbari, deprehendimus. Pertinent huc quae scripta leguntur *II. F. 15. quaeritur igitur, vtrum apud dominum eundem et in eius curia cogatur agnatus defuncti litigare, vel apud agnati Iudicem, vel arbitrum vtriusque consensu electum, hoc esse debeat. Mibi et aliis placet, potius apud iudicem ordinarium, vel arbitrum, quam apud eundem Dominum hoc litigium fore determinandum, et paulo post: illud tamen sciendum est, quod si inter duos, qui dixerint se esse vasallos, de feudo fuerit dubitatio; alter alterum inuitum trahere non potest ad dominum, vel eius curiae iudicium. Si vero cum sua curia dominus vocauerit eos: nemini eorum licet illius domini vel eius curiae examen declinare, et II. F. 34. pr. si autem inter pares duos de aliquo beneficio controuersia sit, quorum vterque suum feudum proprium esse dicat: siue asserant eundem inuestitorem, siue diuersos, coram iudice vel arbitro, finiatur. Quibus locis de causa feudali proprie tali non agi, sed de causa ad ordinarium iudicem spectante contendunt, cum duo de beneficio litigantes, quorum vnusquisque feudum ad se pertinere ait, non sunt conuasalli, eundem Dominum, eandemque illius curiam recognoscentes, sed inuicem negant, alterum esse vasallum, quippe quo casu alter alterum inuitum ad domini et curiae feudalis iudicium trahere, i. e. obtorto quasi collo in ius vocare, nequit. d. II. F. 15. et 46. et II. F. 20. Concedamus. Sed hac ratione non nemo arguet, mirum non esse, quod perinde arbitro, ac iudici ordinario,*

locus detur. Quia vero eo tempore, quo Dominus eiusue curia litigantes ad suum vocat iudicium, etsi ad partis petitionem fiat, *BITSCH ad II. F. 46. not. 6. p. 642.* nulla pars litigans Domini curiaeque iudicium declinare valet, *d. II. F. 15. II. F. 46.*, dum vterque litigator eo ipso Dominum curiamque agnoscit, quo se vasallum esse, et feudum ad se pertinere propugnat, hoc considerato, talis modi causa controuersis feudalibus non minus accensetur, quum actor et reus in *II. F. 34. pr.* pares vocantur, qui etsi respectu sui inuicem pares non sint, dum vterque alterum vasallum esse negat, attamen ratione aliorum vasallorum, quorum se conuasallum siue parem curiae esse quisque asserit, parium nomine insigniuntur. *BITSCH ad II. F. 34. v. si autem. not. I. p. 595.* Iam sicuti ius beneficiarium in causis istis, quae certo respectu ad feudales accedunt, compromissa in arbitros admittit; ita ea in causis, quae proprie et vere sunt feudales, perinde concedenda esse opinamur, cum haecenus nulla inter has causas et illas adpareat diuersitas, sed proprie sic dictae causae feudales illud tantummodo singulare habeant, quod actor reum inuitum ad dominum eiusue curiae iudicium trahere queat; *d. II. F. 15. II. F. 46.* quod vero cessare videmus, simulac arbiter vtriusque partis consensu eligitur.

§. XXX.

Capitulum II. F. 26. *si vasallus de beneficio suo agat, vel comeniatur, siue obtineat, siue non, licet ignorante Domino fiat, omni tempore firmum erit illud iudicium;* argumentum nobis suppeditare quodammodo videtur, sed et reiiciendum illud putamus. Etsi enim concludere possumus, cum vasallo conce-

concedatur; ignorante quoque Domino litigare, id alia fieri ratione non posse, quam coram ordinario iudice aut arbitro; Tamen, si perpendis, dari iudicium parium curiae coram quo absente et ignorante Domino litigari queat, ita vt Iudicis ordinarii aut arbitri decisione opus non sit, hanc conclusionem falsam esse videbis, *d. II. F. 46.* Considerato *II. F. 43.* quo scriptum legimus *si controuersia inter vasallum et alium de beneficio fuerit, aduersario proprietatem totius, vel partem, vel aliud aliquod ius sibi vindicante: causa per vasallum, etiam domino absente, quasi propria ad finem perducatur, ipse enim solus utiliter agendi et excipiendi habet potestatem, et si pro eo aut contra eum iudicatum fuerit, vel cum aduersario transegerit, dummodo fraudulentum actum non sit, etiamsi post beneficium domino aperiat, tale, erit, ac si eo causam agente iudicatum fuisset; et ideo ab eo ratum haberi oportet.* istud *II. F. 26.* applicationem et lumen accipere, simulque apparere videtur, in utroque capitulo potius de lite in iudicio, quam coram arbitro ventilata, agi. Nam, etsi Dominus in genere ratum habere debeat, quod ipso absente et ignorante iudicatum est, siquidem ipsi et lis est denunciata, *II. F. 25.* non tamen litis denuntiatione, quamuis haec iure communi extra iudicium fieri possit *de WERNHER P. VII. Obs. 14.*, cogi potest, vt in arbitrum consentiat et coram illo vasallum defendat. Laudum inde, illo absente et ignorante latum, ipsi non nocet, nisi forte vasallus euictionem passus, iure euicentis contra dominum agat. *arg. l. II. §. 12. d. act. emt. vend. iuncta l. 53. §. 3. d. euict.* MENCCKEN *ad Proc. Disp. VIII. §. I.* Quicquid illud vero sit, tamen, quia vasallo non tantum absente domino, *II. F. 43.* verum etiam domino penitus ignorante,
II. F. 26.

II. F. 26. de feudo litigare et agere permittitur, supra laudatum capitulum *II. F. 26.* non leue argumentum nobis praebet, multo magis ignorante Domino in arbitrum compromittere licere Vasallo, quo minus Domino damnum aut aliquid incommodi metuendum sit ex arbitrio, a quo nullam esse pro- uocationem scimus; quippe quam vnicam ob causam Domini- num sententiam arbitri, etiam ipso sciante non tamen consen- tiente, latam improbare posse, vti e contra sententiam iudi- cis in appellationis instantia confirmatam, vasallo nihil negli- gente, etiam contra dominum ignorantem, vires suas exse- rere opinamur. Haec ratio differentiae, quanquam quodam- modo RITTERSHVSIO *Part. I. F. L. II. c. 2. q. 20.* impe- dimento fuisse videatur, tamen, his quae protulimus, facul- tatem in arbitrum sine Domini consensu compromittendi, magis corroboratam esse perspiciamus.

§. XXXI.

Sententia aduersariorum reiicitur.

Quibus huc vsque perspectis, aduersariorum, qui com- promittendi licentiam ad consensum Domini adstringunt, le- gesque feudales ita, vt eorum opinio legibus non contraria vi- deatur, explicare allaborant, sententiam satis infringi et debili- tari posse arbitramur. Non itaque admittenda *III. BOEH- MERI* sententia, qui *Diff. de super arbitris p. 52.* contendit, opinionem, quae *II. F. 15. et II. F. 34.* legitur, indoli feudo- rum repugnare, quae nihil in fraudem domini a vasallis fieri p̄mittat, in eam, si quid coniecturis dandum, iuris romani principii deceptum, autorem incidisse videri, more eorum qui varias iuris feudalis doctrinas ex lure romano explicare soleant.

Enim-

Enimvero si haec probare intelligentibus voluisset, ipsi demonstrandum fuisset, compromissum in arbitrum in Dominorum fraudem fieri indolique feudorum repugnare, quod vero re paululum perspecta, nemo sibi persuaderi patietur. Neque nos nec alii, qui nobis addicti, aliter arbitro locum damus, nisi fraus plane absit. Frustra quoque SCHRADEVS aliique, haec a nobis laudata Iuris Feudalis capitula per LOTHARIUM II. F. 52. et FRIDERICVM II. F. 55. correctos sublatosque esse addunt; Textuum enim correctio non per coniecturam induci, sed expressis verbis demonstrari debet. Et si vero concedere vellemus, coniecturae locum dari, nihil tamen eo efficias, neque eas leges his reiectas esse concludendum erit. Primo enim II. F. 52. in genere beneficiorum distractio voluntaria quae fit in fraudem seniorum, quaeque vassalli seruitia debita subterfugiunt, vetatur, nulla arbitri mentione iniecta. Secundo idem II. F. 55. repetitur, hocque capitulum eandem ob causam est latum, ne expeditionis imperatoriae complementum minueretur, eaque sola ibi alienatio reiecta, quae in fraudem contra expeditionem fiat, simulque eiusmodi alienationes illicitae hactenus perpetratae ad irritum deducuntur, quod clarissime et ex verbis legis, non vero arbitrum neque primario neque secundario eo prohiberi, perspicimus. Accedit ex eiusdem legis §. 2. omnem alienationem, et adeo subtilem vt volunt, non esse reprobata, cum ibi: *si vassallus de feudo suo alium vassallum habuerit*, dicatur, eoque sub in feudatio permessa sit, quae aequae, vt compromissum, ex aduersariorum sententia, sub alienatione contineri queat. Tertio compromissum multo minus species est alienationis voluntariae et fraudulentae, de qua ea lex prohibitiua loquitur, quo magis fieri potest, vt arbiter aequae pro vassallo, quam

III XXX

E

contra

contra eum sententiam ferat, neque laudum arbitri semper ad alienationem tendat. Ipsos I. F. L. autores compromissum pro alienatione non reputare, et ex ipsis et aliis legibus feudalibus ostendi potest. Olim enim ex *II. F. 9.* iam alienatio interdicta erat, et tamen licitum fuisse videmus, compromittere; Qua ex re sane certissime concludendum, compromissum speciem alienationis non esse. Etsi tandem eadem lege praecipitur, controuersiam de feudo inter duos vassallos ventilatam a domino cognoscendam et terminandam esse: non tamen ab hac de foro feudali dispositione, ad arbitrorum exclusionem valet consequentia.

§. XXXII.

Secundo Legibus patriis.

Quod vero ad leges Germanici Imperii feudales attinet, nullo loco quicquam de arbitro reperire mihi licuit, nisi in *Constitutione Feudali Pomeraniae Tit. 28. §. 1.* qua vassallis conceditur arbiter, ita tamen, ne quid in feudi vel Domini vel successorum fiat detrimentum, cuius quidem rei facultatem vassallis per se non esse supra iam docuimus. *LVD OV. Pehne Process. p. 122.* Cum itaque in reliquis nostri Imperii legibus, quantum quidem constat, nihil de arbitro reperiatur, neque is indoli feudorum Germaniae repugnet, ius autem feudale Longobardicum per totum Imperium sit in subsidium receptum: sequitur, arbitrum optime et valide a vassallis in controuersis adhiberi posse. Quid etiam si Legibus feudalibus non approbaretur arbiter, tamen eum admittendum esse arbitraremur, cum eum indoli feudorum non contrarium esse sciamus, et ius civile in feudalibus controuersis esse in subsidium adhibendum, cum ratio doceat, tum etiam ipsae leges Feudales *II. F. 1. II. F. 87.*, et consuetudo affirmant.

§. XXXIII.

§. XXXIII.

De Feudis Imperii.

Quibus de feudis in vniuersum dictis, iam etiam ad Feuda Imperii procedendum, paucisque eorum mentio iniicienda erit. Si ad feuda Imperii minora nos conuertimus, in iis fortasse nemo facile in dubitationem vocabit, arbitrum admittendum esse, cum eadem conditio eorum in Imperio sit, quae ceterorum in principum finibus, intuitu Domini Directi deprehenditur. In maioribus vero ob conseruationem status in Imperio et arctissimum cum Imperio vinculum, ambigi adhuc poterit, an in arbitrum compromitti possit; quapropter de feudis Imperii in genere quaedam dicemus. Imperatorem cum Statibus Imperii aut eius vice Iudicia Imperii, in feudis in vniuersum Iudicem esse legitimum et competentem, cum leges I. F. L. I. F. 18. et leges Imperii, ORD. CAM. II. Tit. 7. CAPIT FRANCISCI I. art. XI. §. 21. tum ratio ipsa docet. Iam vero, etiamsi Iudicium sit in his feudalibus causis ordinarium, nihilominus tamen vasallis Imperii arbitri sumendi potestatem non adimimus, sed sequentibus causis ducti, eam ipsis concedendam esse arbitramur.

§. XXXIV.

Ratio Prima, qua, iure arbiter in Causis ad feuda Imperii pertinentibus adhibetur.

Ex superioribus patet, Vasallis priuatis hoc ius esse, vnde recte concludimus, Principes deterioris conditionis hac in re priuatis esse non posse, quod sane per se, et eorum iuribus perpenfis omnibus clarissime apparet. Considerabimus ergo paucissimis eorum iura in feudis, maiora et excellentiora priuatorum Iuribus, eaque primo ratione qua in priuatorum feudis vsi fuimus. Sic animaduertimus prae priuatis feudo-



rum possessoribus, istis Vasallis Imperii hanc esse potestatem, ut si non totum, tamen partem immediati feudi sine Caesaris et agnatorum consensu oppignorare; possessionemque partis in alterum transferre possint; quod non quidem lege expressa, sed ratione et usu fundatum est. *vid. STRVV. Synt. I. F. XIV. 29. 5. STRVV. Iprud. F. XVIII. §. 13. SCHILTER. ad Ius F. A. c. 26. n. supra §. 14.* Liberiorem enim ipsis esse de feudis disponendi facultatem tam ex superioritate quam ex Dominio directo singularium territorii partium, ut volunt, permanantem, (quod iam nostrum non est conficere) multis exemplis demonstrari potest, neque quenquam id in dubium vocaturum confidimus. *v. STRVV. Synt. I. F. c. 1. HEY-*

b. DENREICH D. de alienat. feud. p. 70. Quod ad subinfeudandi facultatem attinet, eam saepissime a Vasallis immediatis Imperii exercitam fuisse, multa exempla et innumera ex Imperii historia petita probant. Imo hanc adeo ipsis esse potestatem, ut subdominum directum eligere, huicque dominium directum mediatum etiam sine Imperatoris consensu concedere possint, passim exempla docent; Qua de re ad eundem a *LVDEWIG de primo foro Subf. Imp. c. 3. et GRIBNER de Subf. Imp. quae olim immediata fuisse praerogatiua.*

c. Status Imperii, ut omnes vasalli, iure refutandi feuda gaudent, neque hoc ius unquam ipsis fuit ademptum per *AVR. BVL. c. 14.* sed id solum ibi sancitur, ne in fraudem imperatoris et Imperii refutatio intempestive fiat, ut multis exemplis apud

d. ITTERVM de F. I. p. 963. docemur. In *AVREA BVLLA c. 10. §. 2. et 3.* omnibus ecclesiasticis et secularibus Principibus Electoribus conceditur Ius emendi feuda Imperii eaque ut feuda, pro cuiusque conditione possidendi, valideque in successores transferendi; Quumque ibi consensus Imperatoris

non

non requiratur, recte mihi concludere videor, Principes, comites et alios feuda imperii habentes, rite et iure ea illis vendere posse. Eadem et in reliquis iuribus est ratio. Quoniam ergo patet Vasallis Imperii, iura maiora quam priuatis esse vasallis, iure meo uti arbitror, si inde, arbitrum eos quoque in controuersia feudali sumere posse, deducendum esse affirmo.

§. XXXV.

Ratio secunda.

Altera ratio, qua ad arbitrum in his feudis admittendum duor, in eo consistit, quod perspicere nequeo, quae incommoda, quidue detrimenti Imperium Romano - Germanicum exinde capere possit. Primo enim incertum est, quam sententiam arbitri laturi sint; deinde vero etiam, si eiusmodi laudum dicerent, quod ipsam rem feudalem afficeret, tamen id sine fraude facerent, propterea quod fraus per se compromissum irritum redderet; Fac autem eam sententiam dici, qua alter paciscentium obligetur, ad feudum alteri tradendum, tamen manebit Ius Imperatoris et Imperii saluum, atque conditio Imperii Romano germanici illaesa, aequae ac in feudis priuatorum, ut supra demonstraui.

§. XXXVI.

Ratio tertia.

Cum denique isti, qui contrariam nostrae sententiam fouent, nullam legem Imperii proferre queant, cuius verbis, aut rationibus, vasallis Imperii potestatem hanc non concedendam, et adimendam esse, defendere possint: vel hac de causa, ipsis hoc ius tribuendum esse, summopere contendo. Tali itaque lege non extante, hac in re quoque ad Ius Longobardicum in nostro Imperio in subsidium introductum, recurrendum



dum esse, atque cum eo iure vassallis priuatis liceat compromittere, et Imperii Vassallis hanc facultatem non auferendam esse arbitramur.

§. XXXVII.

Rationes aduersariorum examinantur.

Sufficiant vero haec sententiae meae corroborandae, iamque vt omnia fecisse videamur, eorum, qui nostrae non sunt additi, argumenta quaedam perpendemus, atque cum nouissime de Feudis Imperii disseruerimus, primum, quid in his potissimum, postea vero quid in genere pro sua opinione soleant afferre examinemus. Principem autem rationem commemorant hanc ORDINAT. CAMERAE. eiusque *P. 2dae T. 7.* hunc in modum scriptum. *Ob auch Sachen vorfielen, Fürstenthum Hertzogthum Graffschafften etc. belangend, so von Reich zu Lehn rühren, so einen Theil gänzlich und endlich abgesprachen werden solten, derselben Erkenntniß wollen wir uns als Römischen Kayser hierin, doch sonst in andern Sachen, dieser Ordnung unabbrücklich, vorbehalten haben, doch dieselbige aus dem Reich Teutscher Nation nicht entziehen.* Qua lege efficere voluit, in feudis Imperii Camerae Iudicium esse non posse, sed id sibi ipsum imperatorem reseruasse. Quod si vero curatius inspicimus legem istam, in ea causa tantum Cameraam a iudicando exclusam esse, ex verbis *gänzlich und endlich* videmus, in qua de feudis vassallo adimendis agitur, in quo genere causarum ne in minoribus feudis Cameraam admittendam esse, ex verbis laudatae legis colligimus. Eum autem titulum ita esse intelligendum ex aliis eius Ordinationis titulis vt *P. II. T. 22.* perspicimus, vbi disertis verbis, si de possessione feudi Imperialis agatur, Cameraam iudicare debere, neque

que ibi de feudorum differentia quicquam dictum esse reperitur. Iam autem pergunt, et, si hoc sibi referuauerit Imperator neque Cameram in eo admittere voluerit, se planissime demonstrasse sibi persuadent, neque in eiusmodi feudis arbitro locum relinqui. Eadem conclusione vtuntur, cum Paceni WENCESLAI a. 1383. §. 9. SIGISMVNDI litteras ad Concilium Basileense a. 1434. apud MULLERVM Reichs: L. Th. Frid. V. p. 464. aliasque Imperii Constitutiones, pro confirmanda sententia afferunt, quas si curatius inspicimus, facile intelligimus, earum sensum hunc esse vt causae feudales ad Iudicem feudalem et pares Curiae h. e. ad forum certum reiciantur, non vt potestas arbitri sumendi adimatur. Cum vero haec argumentandi ratio per se non valeat, et vnicuique ius quaesitum conseruandum sit, hocque ius Ordinibus Imperii, vt infra exemplis docebitur, antiquitus fuerit, merito ipsis compromittendi licentiam referuamus.

§. XXXVIII.

Alii denique sunt, qui hoc argumento pugnant, quod Arbitros ab austracis negant esse diuersos; Iam vero constitutum esse in Imperio, vt austracae de causis feudalibus sententiam ferre non possint, Ergo planum esse, arbitros in eius modi causis admittendos non esse. Quod si vero ad hanc Iuris publici partem paulo attentius animum aduertimus, aliam arbitrorum, aliam Austracgarum esse conditionem aliamque auctoritatem videbimus. Quod vt dilucidius pateat, liceat mihi paucis Historiam Austracgarum texere. Antiquissimum fuisse cum apud omnes gentes tum germanos consuetudinem, libertate germanica introductam, in arbitros compromittendi, omnes per se existimabunt, dubitantibus vero a LVDEW. de praevog. Duc. Wurt. II. 4. 7. 10. SPENER I. P. II. 10. e.

HOFMANN *de I. P. interr. temp.* §. 44. KOPP v. Obmannen. BOEHMER. *de superarb.* OBRECHT *Prodr. Rev. Alf.* p. 292. satisfaciunt. Cum enim tempore maxime Interregni turbulentissimus Imperii Status, v. KOPP *von Associat. der R. Creyße* p. 35. *not.* et Diffidationibus Imperium germanicum repletum, iudiciaque nulla et incerta essent, Arbitros perpetuo ad omnes Causas, sine dubio etiam ad causas feudales, Vasalli Imperii sibi constituere. v. KOEHL. *Reichs: Hist.* p. 241. KOCH *Diff. de Austr.* p. 4. *n. a.* Quem finiendi lites modum deinde paulatim Imperatores, confirmarunt, vt WENCESLAVS .P. P. a. 1383. §. 2. et ALBERTVS II. P. P. a. 1434. fecere v. SCHILTER *I. I. P. T. II.* p. 339. paulatimque vox *Ustrag Austrag* in consuetudinem venit. MAXIMILIANVS I. deinde vt luri manuario et diffidationibus inhiberet, iure firmiori, Ordinatione Camerali eos concessit, ORD. CAM. WORM. 1495. *Tit. 24. 26.* Cum vero hic Imperator Electoribus et ceteris principibus tantum hoc ius confirmasset, CAROLVS Vtus postea reliquis quoque Ordinibus, Baronibus, Praelatis, Nobilibusque, hoc ius concessit. v. ORD. CAM. 1521. *Tit. 34.* et insequenti tempore saepissime confirmati arbitri fuere ORD. CAM. 1641. *P. II. init. 1. P. V. art. 5. 56.* Capitulationibusque. Quibus Imperatorum decretis alia sane antiquis arbitris data forma. Iam enim non arbitri amplius appellari debent, sed Austragae seu iudices ad quos primos, lites certorum Imperii ordinum deferuntur, id quod planissime apparet ex ORD. CAM. *P. II. Titulos 2. 3. 4. 5. eorumque rubricas voce Richter.* Adi LYNCKER. *de grau. EXTR. 5. S. I. 12. 20.* KOCH. *Diff. de Austr.* p. 30. *b.* Nempe, ne vasallorum Imperii causae iudicii vnus alea periclitarentur, neue deterioris conditionis essent quam priuati

priuati quiuis, aut ipsorum vasalli, Austraegae instituti sunt, qui primi omnium causas cognoscant, idque leges et ICTi demonstrant, v. CAROLI V. *Privileg. Norimb.* in quo ea pro causa legitur. v. SCHVBARD, *de Austr. C. II. n. 20. p. 52. sqq. et 71.* REC. I. N. §. 168. I. P. O. Art. 5. §. 56. TEXTOR. *ad Rec. D. 3. Th. 7.* KOCH, *d. l.* Ad quae corroboranda sufficit, quod Iudicium Imperiale Aulicum et Camera Imperii Ordinationibus adigantur, ne austraegarum Iudicium praetereant, vt ORD. I. I. A. T. 2. §. 2. ORD. CAM. *cit. Tit. Capitul. FRANCISCI I. art. 18. §. 4.* v. ESTORIS *Diff. de Iure primi fori*; sicque Perill. SENCKENBERG. *Tr. Flor. sparsio ad Ius Austr. p. 134. in Adi.* mandatum de exequendo laudo aduersus principem salmensem. a. 1720. profert. Ex his patet, Austraegis arbitria quidem locum dedisse, sed maximam inter eos et arbitros esse differentiam; Nam austraegae iam pacto constituti sunt, non libero litigantium consensu eliguntur; Sunt Iudices primae instantiae; Possunt potestatem suam exercere in inuitos. Reconuentio in iis locum habet; Ab Austraegis appellari ad Iudicem superiorem potest; quae omnia in arbitris aliter deprehendimus, vid. III. AYERER. *D. autor. arb. ex compr. vim rei iud. hab. p. 23.*

§. XXXIX.

Iam ad alterum eorum ratiocinationis membrum veniamus. Aiunt, austraegas de feudis plane iudicare non posse; atque ad sententiam hanc affirmandam vtuntur. I) ORD. CAM. P. II. T. 7. Cum autem hic Titulus aliter sit explicandus vt supra §. 37. vidimus neque in eo quidquam dictum sit de Austraegis; nos ad eorum sententiam, vt accedamus, non commouebit. II) Aliis legibus quas KOCH. *cit. Diff. p. 686.* vt Imperatorem de feudis Imperii sibi iudicium reseruasse de-

F

monstraret,

monstraret, producit; Ad quae, in genere forum feudale vassallis Imperii constitutum esse regerimus, neque etiam si Austraegae in eiusmodi controuersis iudicent, Imperatorem praeteriri videmus, sed si ad Cameraam aut Iudicium Imperiale Aulicum per prouocationem deuenitur, ei omni tempore et loco Iudicium deferri. III) Exemplis litium feudalium, quibus Imperator finem imposuerit; Sed exinde non sequi, propterea Austraegas non posse iudicare de feudis Imperii, facile intelligi potest.

§. XL.

Contrariam autem sententiam potius defendendam esse frequentibus demonstramus. I) Austraegas in genere constat confirmatos, neque in iis locis de exemptione controuersiarum feudalium aliquid dictum esse. II) Antiquissimum cum sciamus, Ius Germanis fuisse arbitrum eligendi, idque et Interregni Magni tempore obtinuisse; sine omni dubio concludendum nobis erit, et istis temporibus saepissime lites, de feudis exortas, in arbitrium venisse, ideoque hoc ius tanquam ius antiquum statibus Imperii quaesitum, iis non auferendum esse, III) Cum aduersarii nostri Camerae in minoribus feudis Iudicium admittant, et in Feudalibus causis, si de possessione agatur, Camera iudicare possit, ORD. CAM. II. 22. quod et in feudis maioribus fieri posse puto, nisi casu ORD. CAM. P. II. T. 7. excepto: recte mihi facere videor, si easdem causas ad Primam Instantiam austraegarum deferri posse contendam, a quibus ad Camerae iudicium prouocari solet. IV) STRYK. *D. de Arb.* 3. 16. SCHVBARD. *de Austr.* 5. 107. KEMMERICH *de Austr. Comitum.* II. 23. ipsi concedunt, Austraegas si de feudo diuidendo, aliisque eiusmodi causis lis sit, iudicandi potestatem habere. Si ergo in his locum

locum habent; etiam in aliis id eis adimi non poterit, nisi quae diferte exceptae sunt, ORD. CAM. II. 7. Autoritatem cernas in *Europäischen Herold T. I. 921. - 923.* Qui plura de Austraegis desiderat, adeat *Perill. SENCKENBERGII Flores sp. ad Ius Austr.* et *KOCHII Disq. de Austr. S. R. I. procerum.* Quare cum non modo nulla lex prohibeat a Vallis Imperii compromitti in arbitrum, sed etiam Ordines Imperii hoc ius ab multis seculis obtineant, id quod historia multis documentis testatur, id iis ius nullo modo eripiendum apparet.

§. XLI.

III. Koppii sententia et rationes potissimum refelluntur.

Cetera argumenta quae Aduersarii in genere contra arbitrum protulere, supra in defendenda sententia iam pleraque fuere reiecta, idoneisque rationibus oppugnata, ut non necessarium videatur, ad ea hic respondere, et in superioribus dicta repetere. Liceat tamen, cum *III. KOPPIVS singulari Tractatu von Obmannen der Teutschen qui in eius Opere der Teutschen Lehn - Rechts - Proben* reperitur, contra me scripserit, omnia eius argumenta recensere, breuibusque, quid ego contra sentiam, rationibus afferendis demonstrare.

Adfert I. curiam feudalem, ut iudicium litibus feudilibus dirimendis et *I. F. L. et A. et S.* constitutam esse; sed id in genere dictum, et causis feudalibus proprium iudicium constitutum est, non vero simul potestas arbitri sumendi sublata. Nam et in ciuilibus causis propria sunt iudicia et tamen in arbitrum compromittere in iisdem causis licet.

Neque si II. concedamus arbitria Curiae obesse inde aliquid efficitur, quippe eadem ratione Iudicia ciuiliu causarum uti possent ad tollenda arbitria.

- III. Quod III) ait causas feudales semper simul dominium directum afficere; hoc tunc demum verum est, si vassallus et Dominus inter se de Dominio disputant, non vero si duo vassalli sunt litigantes; Hi enim si de eo litigare velint, inanem rem faciant, quippe ridiculum est, de re aliena certare. Quod si vassallus ex arbitri laudo alteri feudum traderet, num quisquam putabit, eo Dominum iure suo priuari?
- IV. Pergit IV) per arbitri sententiam feudum ad alium pervenire, novumque vassallum fieri posse, qui domino non placeat. Sed quis dominum cogeret, quid eum obligaret ad novum vassallum accipiendum? saluum retinet dominium directum, et melius sapientiusque faciet, si arbitrum admittat, quam si causam in curia agi iubeat, cum et КОРР II opinione p. 89. Domino standum sit sententiae a curia prolatae.
- V. V) Antiquis quidem temporibus nulla Iudicia certa, sed statum turbidum fuisse, postea vero Iudicia constituta esse, neque adeo amplius arbitros locum habere. Constitutis Iudiciis compromittendi in arbitrum potestatem sublatam esse, nemo poterit rationibus idoneis confirmare. Neque fieri valide potuit, cum hoc sit ius antiquissimum, et legibus adeo naturalibus omnibus concessum. Dicamus quod veritati consentaneum: Iudicia ideo esse constituta, ut diffidationes belaeque impedirentur, quiesque in imperio constitueretur, non vero hanc ob causam, ut ius antiquum arbitri eligendi statibus et vassallis auferretur.
- VI. VI) Causas ad forum quoddam peculiare pertinentes, semper in constitutionibus Imperii pactisque ab arbitratorum Iudicio fuisse exemptas contendit, idque exemplis p. 92. probare conatur. Sed 1) si hoc esset, in nulla controversia arbiter locum inueniret, neque etiam in civilibus, cum in his etiam Iudicium

dicium sit peculiare. 2) Laudata constitutione ALBERTI II. Status Iudicia adire iubentur, ea quae ante commemorata est de causa, non vt arbitria tollerentur. 3) In lite *Hanau* contra *Ysenburg* et *Cronberg*, eiusque laudo p. 93. certum sane est, arbitros iudicare noluisse de iure venandi in feudum concessio, cernimus tamen in superarbitri laudo, a Comite Georgio Wertheymensi superarbitro in ea causa electo, vt Comes Hanouiensis a iure venandi *zu drey Eichen* abstineret, liberrime iudicatum fuisse, vide *Laudum in Adi. n. 43. p. 66. in*

SVRI behauptete Verrechte der alten Königl. Bann Forste.

VII) §. 12. p. 94. multis exemplis, siue locis diplomatum opinionem suam corroborare laborat, sed ne his quidem quanquam magno labore, vt ipse ait, congestis efficit, vt a sententia nostra recedere cogamur. Sunt autem 1) non omnia exempla pactorum eiusmodi, quibus de arbitro conuentum fit, quae tamen secundum pag. 92. proferre sola debuisset. 2) pacta quaedam ex eo genere, quo sibi pacem promittunt; Constitutiones Imperatorum quibus ordines de Concordia, et, iure legibusque in iudiciis, conficiendis litibus admonentur. 3) pacta et compromissa in causis ciuilibus, quibusque causas feudales exemerunt.

VIII) Pag. 100. affert compromissum, inter familias de *Adeleps*, *Hattstein*, *Carben* et *Stockheim* in ordinem ICtorum Academiae Wittenbergensis 1600. factum; (cuius compromissi Acta ipse possideo, e quibus ratio compromissi, naturae feudorum Nassouiae, Fuldae et Limburgi intelligi potest,) additque Dominos directos laudum in eo casu latum reiecisse, vt Abbatem Fuldensem et Comitem Hanouensem, eosque ad Iudicium aulae vocasse, vt ex litteris D. BOTTI in *Adi. sub n. 6.* ostendi possit. At enim vero 1) non quia domino di-

admitt

F 3

recto

recto arbitri sententia displicet, propterea arbitri ipsi contra ius sumuntur, id quod et e sententia Heydelbergenſi ab ipſo KOPPIO *n. 4.* allata, et ex rationibus a me ſupra propoſitis patet. 2) nullum damnum Dominis eo laudum exortum eſſe, ex eo colligi poteſt, quod Aulae iudicium Wittebergenſes ſecutum eſt, a cuius deinde ſententia ad Cameram prouocatum fuit. *v. KOPPII inductum ſub n. 6.* 3) Quid? quod, cum Nobili de ADELEPS. feudum abiudicatum eſſet laudo, ipſe, non Abbas fuldenſis, autor fuit, reiiciendi laudi, idque precibus ab Abbate impetrauit, *v. Adi. KOPPII ſ. n. 6.* vt exiſtimare liceat, niſi ADELEPSII voluntas et preces interceſſiſſent, arbitrorum ſententiam ratam futuram fuiſſe. 4) Altera Pars, Nobiles de HATTSTEIN et CARBEN poſſeſſionem feudorum, de ſententia arbitrorum, poſtulauere, et obtinere, adeoque mandatum ab Imperatore Comiti de YSENBURG fuit, vt eis Höchſt traderet poſſidendum, ſiue eos immitteret; ex quibus ſane patet, laudum et compromiſſum iuſtum et iure factum, fuiſſe iudicatum.

§. XLII.

Exempla ſententiam noſtram confirmanſia.

Quae haecenus diſputata ſunt, iis ſatis me demonſtraſſe opinor, in cauſis feudalibus (niſi ſi cauſa iam delata ſit ad Curiam Feudalem *H. F. 15. ſin.*) Vaſallis arbitri ſumendi poteſtatem concedendam, neque vllō modo eam adimendam eſſe. Fuiſſe autem arbitros a Vaſallis ſaepenumero in litibus ad feuda pertinentibus quoque electos, ex adiunctis Exemplis dilucide patebit. Proferamus autem primo exempla paetorum, in quibus in genere arbitri, in quibuſcunque controuerſiſ conſtituti, ne feudalibus quidem cauſis exceptis, fuere. a) Anno 1359. inter XV. Nobiles foedus in initum, quo ſeptem arbitros in litibus

litibus exoriundis nulla causa excepta, ergo nec feudali eligunt. vid. a *LYDEWIG Rel. MStor. IV. p. 287.* b) 1329. Pactum inter Wenceslaum Masouiae ducem et Wernerum Magistrum ordinis teutonici, in quibuscunque causis *ap. Eund. T. V. p. 606.* c) 1595. pactum de Austraegis inter familias Rhingrauicas ad omnes causas, in *Perill. SENCKENB. Flor. sp. ad I. Austr. adi. n. 5.* et d) Eiusdem anni, inter regem Bohemiae et Electorem Palatinum de superarbitro eligendo, nulla causa feudali excepta, in *VITRIAR. illustr. T. IV. 512.* *KOPPIO von Obmannen p. 68.* legimus, e) et *LVNIGIVS R. N. P. sp. C. 3. 7. Abth. n. 147. p. 187.* nobis Diploma *des Cronbergischen Burgfriedens* adeo offert, quo in causis quibuscunque arbitros et superarbitros constituere, vbi adeo causas quoque feudales adiecere, vti ex verbis *es treffe Leib Ekre Gut Lebens oder Aigens an*, satis abunde colligitur.

§. XLIII.

Exempla alia.

His iam ea addemus, quae, in causis feuda concernentibus arbitros adhibitos fuisse, certissime conficere videntur. Est I) apud *MVRATORIUM Antiquit. Med. aeni T. I. p. 159.* sententia arbitratorum, in controuersia de Manso caligariorum, et duabus partibus Ducatus inter Archiepiscopum Rauennatem et Petrum Trauersariam anno 1197. electorum.

II) *Apud eundem T. II. p. 85.* quoque eiusmodi sententia reperitur, in controuersia de regalibus et Iurisdictione, inter Azonem VI. Marchionem Estensem et eius Patrum Bonificium Anni 1198.

III) *GVDENVS Cod. Dipl. T. II. p. 101.* Laudum profert, a Ruperto de Carben et Henrico de Hufenstam in controuersia de feudo Imperii villae Akrusteile inter Phillippum de Falkenstein,

ckenstein, et Wintherum, Eruinumque de Bruningesheym latum anno 1252.

IV) *Apud Eundem c. l. p. 133.* est Gottfridi de Biegen super arbitri sententia in controuersia de Comicia in Haselbergen, Iudicium in Langene etc. feudis, inter Comitem Dietherum de Katzenelnbogen et Phillippum de Falckenstein anno 1259.

V) IOHANNIS *in spec. Imo Tabularum p. 291.* Diploma profert, quo mentio arbitratorum iniicitur in lite inter Godofredos de Eppenstein et Comites de Catzenelnbogen et de Werthein super bonis Feudalibus Gerhardi de Eppinsein electorum anno 1270.

VI) *Ab Eodem c. l. p. 173.* litterae compromissi inter Abbatem et simonem custodem moguntinum, de lite super decimis Sobernheimensibus per arbitros finienda, referuntur. Anni 1279. Quae decimae ad Abbatem pertinere, eoque feudales fuisse, cum Abbates terras iuraque feudi titulo possedisse vid. *BURI Comm. in Schilt. I. I. F. p. 240. 524.* dubitari nequeat.

VII) *Idem c. l. p. 384.* compositionem per arbitrum inter Theodorum Kump et Gerlacum de Breuberg anni 1287. allegat.

VIII) *STRVV. Corp. I. P. p. 981. n. 30.* Controuersiam de terris Ducatus Meraniae inter Hermannum Bamb. Episc. et Comites Orlamundanos per compromissum anno 1293. fuisse sopitam ostendit.

IX) IOHANNIS *c. l. p. 393.* arbitros in causa super castris iurisdictione et hominibus inter Breubergicos et Pincernas Erpachios, adhibitos esse documento demonstrat. A. 1300.

X) BOEHMERVS *Diff. de superarb. in adi. n. 2.* affert sententiam arbitratorum in causa feudorum vacantium inter Mathiam Archiep. Mogunt. et Ottonem Hassiae Landgrauium anni 1324. *v. eius Diff. p. 51. not. f.*

XI) KEM-

XI) KEMMERICH *Diff. de Comitum Austrag. p. 13. n. f.*
 Exemplum habet litis inter nobiles de Gusted et Ciuitatem
 Goslariam de Aduocatie feudis ortae, per arbitros Comites
 Mansfeldensem et Wernigerodanum anno 1324. sopitae.

XII) *In MANIFESTO ASCANIENSI anno 1646. edito*
p. 12. legitur, controuersiam inter Bernardum principem Asca-
 niensem et Episcopum Halberstadiensem super feudis Imperii
 spoliatis ab Archiepiscopo Magdeburgensi arbitro diremtam
 fuisse anno 1339.

XIII) KEMMERICH *c. D. p. 13. n. f.* arbitrorum Wilhel-
 mi Ducis Brunswicensis et Conradi Wernigerodani mentionem
 iniicit, in causa inter Comitem Henricum de Regenstein et
 Borchardum de Woldenberg super feudis agitata et ab arbitris
 anno 1348. composita.

XIV) *Apud LVNIGIVM N. Archiv. C. II. p. 9. et ap.*
Du MONT Corps Dipl. T. I. P. II. p. 290. compromissum in-
 ter Rupertum Comitem Palatinum Rheni et Leopoldum
 Episcopum Bambergensem, factum in Archiepiscopum Mo-
 guntinum et Coloniensem, super lite de Castris Hartenstein
 et Neuenstein, quorum partem dictus Episcopus titulo feudi
 se habere contendebat anni. 1353.

XV) *Apud Perill. SENCKENBERGIVM Flor. sp. ad*
I. Austr. p. 38. et adi. n. XV. pactum profertur, inter Wild-
 grauios et Obersteinios, ex quo clare perspici possit, vasallos
 in feudalibus et quando lis iure terminanda in dominos et cu-
 riam non solum, sed et in alios compromissa iniuisse anni 1414.

XVI) *LVNIGIVS N. N. P. sp. Cont. II. p. 205.* Diploma
 edidit, ex quo cernitur, si lis oriatur inter Fridericum Bellico-
 sum et Wilhelmum II. Landgrauium Thuringiae, quatuor ar-
 bitros

bitros et Duos superarbitros Gerhardum Episcopum Numburgensem et Fridericum Burggr. Nurembergensem esse debere anni 1415.

XVII) *MVLLERVS R. Tags Th. sub Frid. I. c. 19. 10.* docet, cum princeps Hennebergicus Henricus XIV. appanagiatus, anno 1440. mortuo fratre Wilhelmo IV. qui tres filios reliquerat, Hennebergensem principatum peteret, etiam si renunciauerat omnibus iuribus, lisque eo nomine exorta esset, in Episcopum Wurtzburgensem, Comites et Nobiles quosdam fuisse compromissum.

XVIII) *Apud SENCKENBERGIUM d. Diff. in adi. n. 6.* Nobiles de Cronberg in litigio de villis, cum pertinentiis et de feudo castrensi arbitros elegisse dicuntur anno 1448.

XIX) Memorabile Exemplum habemus hoc. Cum Albertus Cardinalis et Archiepiscopus Moguntinus et Magdeburgensis, Iohannem Fridericum Electorem Saxoniae in Burggrauatu Magdeburgensi non vna vice turbasset, litem controuersiasque per arbitros definiri vellent, in Electorem Brandenburgicum vt arbitrum anno 1544. compromiserunt. Qui cum diem sententiae ferendae Seruestae dixisset, ab Imperatore Carolo V. allatas, aiunt, esse litteras, quibus ille potestatem sumendi in ea causa arbitri adimeret. lis commotum Brandenburgensem abstinuiffe quidem a sententia ferenda, sed miratum tamen esse, qua de causa Imperator et quo iure intercesserit idque impedire voluerit. Cum deinde Wolfenbüttelum captum esset, litterae Cardinalis ad Ducem Brunsvicensem Henricum iuniorem, qui eius parti addictus erat, fuerunt inuentae, quibus, se ipsius consilium secutum esse, Electorique Brandenburgico confictas Imperatoris litteras misisse scribit. Iure ergo

ergo in hac causa in arbitros fuisse compromissum videmus, erroremque eorum inde corrigendum perspiciamus, qui negotium de Burggraviatu Magdeburgensi vt feudo Imperii Caroli V. litteris ad Imperatoris cogonitionem auocatum contendunt. v. HORTLEDER *de Caus. Belli Germ. P. I. L. IV. c. 48. n. 22.* adi et SCHARFIVM *Conf. cent. 12. Conf. 53.* STRAVCH. *Diff. I. P. P. XI. 7.* qui hoc compromissum iure factum, neque istis litteris sublatum fuisse acriter defendunt.

XX) Hoc loco et ponendum arbitror compromissum inter familias nobiles de Hartstein, Adeleps, Carben, et Stockheim 1600. in Ordinem ICTorum Wittebergensium de Feudis Fuldensibus, Hanouiensibus et Nassouiensibus initum, cum quicquid KOPPIVS supra protulerit, ad infirmandam meam sententiam mihi sufficere non videatur.

XXI) Huc pertinere opinor compromissum feudale inter Ferdinandum Archiepiscum Coloniensem, Capitulum et Nobilitatem Coloniensem de successione in feudum Reinsheimense initum, de quo THVMVNERMVTHIVS integrum nobis libellum reliquit.

XXII) His adicio controuersiam inter Electorem Carolum Ludouicum Comitem Palatinum Rheni et Archiepiscopos Electores Moguntinum, Treuirenses, Coloniensem, Ducem, Lotharingiae, Episcopos, Spirenses, Argentinenses, Comites Rhingrauios et Nobiles immediatos in causa Wildfangiatus, conductus, et Teloniae, indeque pendentium Iurium, in qua adeo in externos Reges Galliae et Sueciae compromissum fuit, quod iure quoque factum videmus, et ab autore Rationum *warum Chur-Pfaltz in der Wildfangs-Sache die beyden Cronen zu Arbitris ernennet.* In Diario Europaeo Cont. XII.

App. 707. in aliis Regalibus feudi titulo possessis factum esse docetur, ratione hac ductus neque iure communi nec constitutionibus Imperii vetitum esse ne in extraneos compromittant, quod cum priuatis concessum sit, multo minus Electoribus et statibus Imperii adimendum esse, qui pro sua quorumque conseruatione et securitate vi instrumenti pacis adeo foedus et societatem inire possunt.

XXIII) Liceat mihi insigne adhuc referre exemplum compromissi inter Magnum Norwagiae et Canutum Daniae regem de regno ytroque certantes, qui in ea controuersia definienda arbitros adhibuere. Daniam autem feudum fuisse Imperii ab Heinrico Aucupe anno 931. vsque ad Interregni tempora, Historia Imperii Romano germanici et Heinrici, Ottonis M. Lotharii et Friderici I. inuestiturae regum Daniae docent. v. CONRING, de fin. Imp. c. 17. 18.


Plura exempla qui legere cupit, adeat MENOCHIVM *Conf. I. l. 258 - 378. et Conf. 2. 302 - 315.* de causis Montis ferati et Finariensi, vbi tam firma addit statuum esse compromissa, vt ab Imperatore irrita fieri nequant; BLVMIVM *supp. Cam. p. 648;* Controuersiam de successione Marpurgensi inter domus halsiacas Ernesto Gothano arbitro compositas per INSTR. P. art. 15. 13. confirmatam; LEHMANNI *Chron. spir. IV. 21. VII. 104. 105.* DATT. de P. P. I. 27. aliosque multos Historiarum scriptores, Diplomatumque collectores.



Leipzig, Diss., 1753

X 237 3094





672

1753, 25.

DISSERTATIONEM IVRIS FEVDALIS
PVBLICI ET PRIVATI
DE
POTESTATE ARBITRI
IN LITIBVS FEVDALIBVS
SVMENDI
VASALLIS CONCEDENDA,
MAGNIFICI ICTORVM ORDINIS CONSENSV
D. XX. SEPT. MDCCLIII.
DEFENDENT
CHRISTIAN. LVDOV. STIEGLITZ
I. V. D. ET SEN. LIPS.
ET
IO. LVDOV. ERNEST. PÜTTMANN.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.